



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

7. An hoc Sacramentum iterari possit in eâdem infirmitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

tum possibile est, animæ moribundi succurratur.

ARTICULUS VII.

Vtrum hoc Sacramentum iterari possit in eadem infirmitate?

QUOD iterari possit in diversis infirmitatibus est certum; Omnia enim Sacramenta quæ non imprimunt characterem possunt iterari. Ideo tantum inquiritur de iterabilitate durante eadem infirmitate. De quo ex proposito agit S. Thomas ubi supra in supplemento q. 33. a. 2. ubi in corpore sic discurrebat. *Hoc Sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam estimationem videntur morti appropinquare. Quædam enim infirmitates non sunt diuturnæ, unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc si homo ad statum illum perveniat quod sit in periculo mortis, non recedit à statu illo, nisi infirmitate curata, & ita non debet iterum inungi. Sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt agitudines diuturnæ, ut hectica, hydropisis & huiusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur periclitari.*

cere ad periculum mortis : & si homo illum articulum evadat , eâdem infirmitate durante , & iterum ad similem statum per illam aegritudinem reâducatur , iterum potest inungi ; quia jam est alius infirmitatis status , quamvis non sit alia infirmitas simpliciter. Quæ sufficiunt ad resolutionem propositæ difficultatis.

ARTICULUS VIII.

De effectibus Extremæ Vnctionis.

S. Thomas in 4. Et prout refertur in sup-
plem. q. 30. a. 1. & 2. agit de effectibus hujus Sacramenti , & docet esse principaliter institutum ad sanandam infirmitatem peccati ; sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio , & Pœnitentia quædam spiritualis suscitatio ; ita & Extrema Unctio quædam spiritualis sanatio vel medicatio ; ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur , sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur , ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ , gratiæ , vel gloriæ.

Ex quo patet quid intelligatur per *reliquias peccatorum* , ad quas tollendas dicitur hoc Sacramentum conferri ; sunt enim , ut ibi describit S. Thomas , quædam debilitas & ineptitudo